Michael Denis: Codices Manuscripti Bibliothecae Palatinae Vindobonensis Latini Aliarumque Occidentis Linguarum. Vol. II. Pars III.
Wien, 1802 Seite 1835
Quelle:
Copyright:

tis *Michaeli* illi factum est. Alterius, quae dispensat cum Vidua contra votum ad secundas Nuptias digressa, initium est: *Ex parte dilecte nobis in Christo N. Wyenne commorantis* &c. et inscriptio: *Johanni diuinorum socio parochialis ecclesie sancti Stephani* &c. Nescio, an inter impressas Epistola.

DCCLXIII.

R. 25 Codex chartaceus lat. Sec. XV. Folior. 255. f. currente calamo per duas columnas exaratus, et minio pernotatus continet: I. *Quaestiones VII. de Indulgentiis*, quarum prima insit: *Primo ergo quero Vtrum indulgencie tantum valeant quantum sonant. Ante responsum ad quesitum sciendum est. Primo dico quot indulgencie nichil aliud sunt nisi thesaurus ecclesie* &c. Ad quendam Magistrorum *Viennensium* referendas putem, et fortasse *Henricum de Hassia*, cujus Opusculum *de Ecclesiae Clavibus et Indulgentiis* memorat *Petrejus* in *Bibl. Carthus.* p. 131. quamvis perperam ad *Henricum de Hassia juniorem* referat.

II. *fol.* 8. sequuntur *Quaestiones de Angelis* pariter scholasticae, hoc initio: *Hic queri solet quam sapientiam habuerint ante casum* &c. Eundem, ut videtur, autorem habent, sed fine mutilae sunt.

III. *fol.* 11. praevio *Indice*, nullis tamen inscriptionibus praenotati succedunt *Sermones de Tempore per totum annum*, a prima nempe Dominica Adventus usque ad XXV. post Trinit. In sola calce legas: *Explicit jacobus de tempore.* Hinc intelliges *Jacobum de Voragine* (*Varaze*) ex O. P. evectum ad infulas *Januenses*, et humanis exemtum a. 1298. qui praeter famosam illam *Legendam auream*, sive *Lombardicam* Sermones etiam Quadragesimales, de SS. et nostros praesentes reliquit. Adi de eo, ejusque Operibus *Scriptt. Ord. Praed. T. I. p. 454.* Sermones pluries typis excusi sunt. Contuli editioni *Venetae* 1579. 8. Codicem, eique deesse deprehendi ad *fol.* 141. Sermonem III. *de Pentecoste*, et subsequos III. *de sancta Trinitate*, qui in edit. decurrunt a *fol.* 179. (lege 197.) ad *fol.* 208. At vero in compensationem Codex a *fol.* 247. Sermones exhibet IX. qui in edit. desunt, et ad Ascensionem Domini, Pentecosten, Trinitatisque mysterium pertinent. Eorum porro initia haec sunt: I. *Qui descendit ipse est, qui ascendit super omnes celos* &c. II. *Psallite Deo qui ascendit super celum celi* &c. III. *Repleti sunt omnes spiritu sancto* &c. IV. *Ignem veni mittere in terram* &c. V. *De excelso misit ignem in ossibus meis* &c. VI. *Si quis diligit me, sermonem meum servabit* &c. VII. *Cor mundum crea in me Deus* &c. VIII. *Benedicat nos Deus, Deus noster* &c. IX. *O altitudo divitiarum sapientie et scientie dei* &c. Qui Sermones omnes habentur inter *Sermones de Sanctis* eadem forma a. 1573. *Venetiis* excusos.

DCCLXIV.